DISQUISITIO MEDICA.

De ea quæ undecimo menſe peperit.

In qua, ſententia Hippocratis de ſummo geſtationis termino examinatur.

A JOANNE TARDINO, Doctore Medico.



Juxtà Exemplar Turnoni impreſſum anno 1640,

PARISIIS,

Excudebat JOANNES-THOMAS HERISSANT, Typographus Regius.

M. DCC. LXV.

Cum Permiſſu.



Nobilissimo Clarissimoque DOMINO D. JOANNI DE MICHA, Domino de Bursin, Consillario Regio, Gruisivaldensi Proprætori integerrimo.

JOANNES TARDINUS. S.

NIHIL in totâ naturæ contemplatione, involutum magis, aut intricatum est, quàm quod de variis humani partûs temporibus, à veteribus proditum accepimus (Proprætor integerrime:) *neque verò medicorum tantùm, sed & jurisperitorum quoque, ingenia exercuit hæc disquisitio. Hi enim, cum animadverterent tam varias, & discrepantes hâc in re medicorum sententias, &, quod caput est, cum viderent, tam eos qui breviorem, quàm eos qui longiorem terminum prægnantibus assignant, Hippocratis auctoritate niti; varios quoque terminos, utero gerentibus, præfigendos duxerunt: nam modò summum gestationis tempus, decimo mense incluserunt; modò ad undecimum extenderunt. Ego verò, datâ occasione, ut primùm hanc quæstionem accuratiùs examinare cœpi; miratus sum, Hippocratem, divinum illum virum, cui hoc elogium à veteribus tributum est, nec falli potuisse, nec fal-*

lere voluisse, huic contentioni occasionem dedisse: verùm paulò post, prior illa admiratio in aliam conversa est; miratus, inquam, sum, ex apparente aliquot locorum differentiâ, quæ in verbis potiùs, & computandi modo, quàm in re ipsâ posita est, tot excitatas esse controversias; cùm nullibi clariùs & apertiùs suam mentem aperuerit: quod, ni fallor, in hâc disquisitione patebit evidentissimè. Hanc autem, sub tui nominis splendore, in lucem emisi, ut hoc aperto & publico testimonio proderem, quantùm te intus geram: quantùm, inquam, tuas illas eximias animi dotes, tacitus apud me admiratus sim, & veneratus: nam ad singularem illam, quâ polles, non tantùm Juris, sed & cæterarum disciplinarum notitiam, tantam morum probitatem & suavitatem adjecisti, ut omnium animos ad te rapias & convertas. Sed & cùm summi illi Judices tuam, suis in causis dijudicandis, æquitatem quotidie experiantur, sanè, si meum conatum tibi probari intellexero, non diffidam quin & ipsi eumdem sint comprobaturi.





DISQUISITIO MEDICA.



De ea quæ undecimo menſe peperit.

TITIUS, cum ſexageſimum ætatis annum ageret, circa æſtatis initium, Hemiplegiâ correptus eſt; quæ, per duos annos & octo circiter menſes, perſeverans, tandem illum de medio ſuſtulit. In hoc longo morbi decurſu, variæ mutationes contigerunt: nam, per initia, convenientibus præſidiis adhibitis, & valente adhuc naturâ, aliquantulùm ſibi reſtitui viſus eſt; nam & equo inſidere, & domi aſſidentium humeris ſuffultus ambulare poterat: quin &, hoc ipſo tempore, defunctâ primâ uxore, de ſecundis nuptiis cœpit cogitare, & nono menſe, à primo morbi inſultu, cum Titiâ matrimonium contraxit: verùm infelici admodum eventu; nam, poſt duos menſes, recrudeſcens morbus ita eum lectulo affixit, ut per tres menſes integros immobilis in eo jacuerit: Symptomata omnia exacerbata ſunt: in reſolutis partibus ſenſus & motus conciderunt: imo & calor nativus penè extinctus eſt; unde lividæ, ſubtumidæ, perpetuo frigore algeſcentes, & quaſi cadaveroſæ conſpiciebantur. Atque cum inter has anguſtias totum annum, & aliquot

menses transegisset, adivit balnea Dinensia. Verùm & infelici successu eorum usum tentavit; liquatis enim cerebri humoribus, nova fluxio in subjectas partes concitata est, quæ magis ac magis naturam oppressit; urina, non expectato voluntatis imperio, suâ sponte defluens, lectulum & subjectas vestes perpetuò conspurcabat.

Et cum illius vellicationem præsentiret, non poterat emissarium in matulam immittere, absque assidentium ministerio. Sicque, cum omnia in pejus ruerent, tandem, decimo ante obitum die, novo morbi insultu concitato, sensus non tantùm externi, sed & interni labefactati sunt; jacuit attonitus, sine voce: urinæ, & alvi recrementa, quà data porta, effluebant; tandemque alto veterno obrutus fatis cessit.

Titia ejus uxor, post decem menses civiles integros & absolutos, ab obitu viri computandos, & sex dies undecimi mensis, puellam enixa est. Quæritur an posthumus ille fœtus Titio sit acceptus referendus?

Sanè primâ fronte referendus videtur. Nam Hippocrates, Aristoteles, aliique summi tùm Medici, tùm Philosophi, undecimestres partus admittunt, ac eos potissimùm qui ad undecimi mensis principium deveniunt. Cum mulier ultra plenilunium concipit (inquit Hippocrates) necesse est eum conceptum undecimum mensem attingere: sanè undecimum mensem attingere nihil aliud est, quàm ad undecimi mensis principium devenire: atqui sex dies, pro undecimi mensis principio, sunt habendi. Et quamvis Jurisconsulti undecimi mensis apprehensionem ad duos dies tantùm extendant, statuentes longissimum gestationis tempus esse decem mensium & duorum dierum; hoc tamen in casu, excusationi potiùs, quàm accusationi locus est; solent enim mulieres virorum obitum, lamentis

gemituque & fœmineo ululatu, excipere: Atqui animi illa pathemata plurimas mutationes caloris nativi invehere possunt; quod declaravit Hippocrates exemplo Phætusæ.

Quæ, viro in exilium relegato, tanto mœrore perculsa est, ut remulierascere non potuerit; hoc est, ut nostri interpretantur, menstruum illum sanguinis effluxum nusquam ab eo tempore passa est; sed, illo in corpus effuso, habitum & vocem virilem induere visa est & barbam emisit. Titia ergo, cùm à paucis diebus in utero haberet, ex obitu viri tantùm mœroris concepit, ut spiritus, qui præcipua sunt facultatis formatricis instrumenta, ad cor derivati sint, ut fieri solet in magna animi consternatione. Quid ergo mirum, si vis illa efformatrix in morboso semine delitescens, ut pote quod ex morboso parente deciduum erat, cessante spirituum affluxu, tam citò suum opus non perfecerit, sed ad quatuor dies distulerit? Sed & nonnulli percelebres Medici ac Philosophi constanter decernunt nullum à natura tempus, uteri gestationi, mulieribus esse præfinitum: natura enim *Philantropos* multas concessit dotes mulieribus, supra cæterorum animalium conditionem: hæc enim, certis duntaxat anni tempestatibus, in mutuos amplexus ruunt; quibus elapsis, nullo cupidinis œstro concitantur: at verò mulier quâlibet anni tempestate, sive frigidâ, sive calidâ, sive udo, sive sudo cœlo potest concipere; ergo ut concipiendi, sic nec pariendi, ullum tempus à naturâ mulieribus præfinitum est. Quo ergo jure, quâve injuriâ, leges, quæ aliis in casibus privilegia ampliare, & pœnas solent restringere, hoc beneficæ naturæ munus mulieribus concessum, ausæ sunt restringere, & ita restringere, ut ne latum quidem unguem liceat ab illis discedere? ergone, cum tam dubia sint & intricata ea quæ de conceptûs,

formationis, motûs, & partûs temporibus, à Philosophis & Medicis proferuntur, poterit certus præscribi terminus, ut ne quatuor dierum spatio liceat illum transgredi; quin & infelix mulier perpetuo exponatur opprobrio, & posthuma proles à charissimi parentis hæreditate arceatur?

Cæterùm, si universam rem æquâ lance ponderemus, manifestè deprehendemus suppositum esse partum, qui Titio nulla ratione acceptus potest referri. Hanc conclusionem duplici ratione demonstro; ac primò quidem dico virilitatem in Titio concidisse, ab eo tempore quo secundus insultus morbi rediit, qui, cum sexdecim circiter mensibus contigerit ante obitum Titii, non potest fœtus, qui undecimo mense ab illius obitu in lucem prodiit, ipsi acceptus referri. Addo secundò extra controversiam esse virilitatem Titio ademptam fuisse, saltem eo postremo insultu qui decimo die eum è vivis sustulit, ac propterea non computandos esse dies gestationis ab obitu Titii, sed saltem à decem illis diebus quibus insultus ille contigit. Quo posito dico totam illam dierum summam, ex decem illis diebus, cum decem mensibus civilibus completis, & absolutis, & sex diebus undecimi mensis, excedere quadraginta diebus, summum gestationis tempus, quod Hippocrates & cum eo melioris notæ Medici utero gerentibus assignant. His duabus rationibus conclusio nostra fulcitur, ac propterea paulo fusiùs examinandæ sunt. Atque, ut ad primam accedamus, dico virilitatem, in secundo insultu, Titio ademptam fuisse, tum ratione ætatis, tum ratione morbi: ac, quod ad ætatem attinet, scio legem illam Poppæam, quæ sexagenariis fibulam imposuisse dicebatur, abrogatam fuisse: & tamen hâc ipsâ lege demonstro id quod intendo. Dico enim tam eos qui legem tulerunt, quàm eos qui latam abrogârunt, optimâ ratione

tione ductos fuisse ut ita facerent; qui enim legem tulerunt, respexerunt ad id quod fit ut plurimùm.

Cùm igitur ut plurimùm contingat virilitatem in sexagenariis concidere, ut docet Aristoteles; optima profectò ratione ducti sunt, qui sexagenarios à contrahendo matrimonio arcuerunt. Cæterum quia, ut notat Hippocrates, multùm differt natura à natura, frequensque docuit experientia nonnullos esse in quibus nativus calor ita vegetus est, ut etiam sexagesimo anno prolem suscipere valeant: ne illis injuria fieret, lex illa abrogata est. Ergo, ut ad rem accedamus, si in Titio vegetioris illius caloris nota aliqua, aut illecebræ vigor supra communem hominum conditionem emicuit, nolim ego illi fibulam imponere. Verùm symptomata illa, quæ in secundo insultu contigisse monuimus, manifestè arguunt, calorem nativum in Titio penè fuisse extinctum: nam resolutæ partes erant lividæ, tumidæ, perpetuò algescentes, sine sensu, sine motu, & absque ullo naturæ vigore. Crudele profectò atque horrendum fuit supplicii illud gênus, quod Tyrannus ille excogitavit, qui, ut ait Poëta,

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Connectens manibusque manus, atque oribus ora.

Æquè calamitosa est hemiplegicorum conditio; in quibus resolutæ partes, penè emortuæ & cadaverosæ, tetro suo halitu, alias partes quibus affixæ sunt, inficiunt & conspurcant, nativumque calorem cum vitâ sensim extinguunt. Quid ergo de Titio sperandum est, qui, in decrepitâ ætate, consummatâ hemiplegiâ tentatus est: si calor nativus non fuit sufficiens ad conservandas individui partes, quomodo speciei conservationi potuit incumbere?

Quòd si placeat rem paulo altiùs repetere, & investigare ea quæ ad virilitatem necessaria sunt,

facilè constabit eam omnino in Titio fuisse extinctam. Ergo ad virilitarem duo requiruntur, fœcundi scilicet seminis elaboratio, & ejusdem valida & conveniens immissio. Circa seminis elaborationem; quâ ex materiâ constet, quibus ex parribus sit deciduum, nostri multa disputant. Sed, ne videar dubia & incerta pro certis intrudere, ea proferam quæ apud omnes in confesso sunt. Certum ergo est, seminis materiam esse residuum alimenti perfectè cocti & elaborati, imo purissimam illius portionem: quod demonstrat Aristoteles exemplo Amyli: sicut enim, ex multo tritico, pauca Amyli materia eruitur, eoque separato, quod reliquum est terrenum est & fœculentum; ita, ex multâ copiâ sanguinis, pauca seminis mareria educitur, quæ est purissima portio totius massæ sanguineæ; unde fit ut, ex immodico Venereorum usu, ingens lassitudo consequatur. Et, ut notant aliqui, uncia una seminis per excessum effusa plus detrimenti affert corpori, quàm si quadraginta sanguinis unciæ effunderentur.

Sed & purissima illa sanguinis portio multo spiritu perfundi debet, unde fœcundum semen spumosum est, quòd multo spiritu turgeat; & fortè inde nata fabula est Venerem ex spumâ maris ortam fuisse, ac propterea natura, miro artificio, vasa illa, quæ seminis elaborationi destinata sunt, ita machinata est, ut rres illæ præcipuæ corporis partes, suos spiritus ac salutares influxus seminali materiæ imprimerent; atque in his spiritibus potissimum insidet Divina illa vis quæ corpus efformat, ex quibus manifestè convincitur, ut, si aliquod ex nobilibus illis visceribus aliquâ labe aut substantiæ corruptelâ contaminetur, aut nullum, aut omnino infœcundum semen producatur: unde quibus jecur Scirrhosum est, aur cachexiâ & hydrope laborant; similiter qui tabe & marcore conficiuntur, ob cordis

intemperiem, hi omnes infœcundi censentur. Atque idem judicium esto de iis qui insignem aliquam labem in cerebro contraxerunt. Etenim cerebri influxus, ad seminis elaborationem, ita necessarius est, ut nonnullis melioris notæ Medicis & Philosophis placuerit, etiam ipsam seminis substantiam & crassamentum ex cerebro derivari: & sanè nulla corporis pars est, quæ effrenioris libidinis damna potiùs sentiat, quàm cerebrum, adeo ut vulgò credatur; in libidinosioribus, exhaustam esse magnam portionem cerebri & spinalis medullæ; ac propterea calvos effici: quod fortè voluit denotare Hippocrates in Epidemicis his verbis, *Cerebri consumptio, ideò & calvities:* & facetè admodum idipsum insinuabant illi milites, qui, triumphante Cæsare, sic exclamabant, Uxores vestras servate, cives, vobis mœchum calvum adducimus.

Sed evidentiùs idem Hippocrates demonstrat, ex frigidâ cerebri intemperie, sterilitatem induci, exemplo Scytharum: nam, libro de aere, aquis, & locis, causam inquirens, cur Scytharum nonnulli fiant effœminati & ad Venerem impotentes? volensque ostendere hujusce eventûs causam naturalem esse, nec in Deorum iram referendam, ut ipsi existimabant, docet Scythas, ex longâ & frequenti equitatione sine stapedibus, articulorum doloribus corripi, claudosque effici contractis coxendicibus; quibus morbis ut occurrant, venam retro aures aperiunt; qua medicatione, inquit, se ipsos perdunt; venæ enim retro aures sunt, quas si quis secet, sterilitatem inferat his quibus secantur: quare id etiam ipsis, ex earum incisione, accidere certum est. Quærunt Medici quî fieri possit ut illarum venarum sectio Scythis sterilitatem inducat, statuuntque communiter perfrigeratum, ex illa sanguinis missione, cerebrum huic morbo causam dare: refrigerati

autem cerebri indicium ex eo deducunt, quòd doceat Hippocrates, ab illa ſanguinis miſſione, profundum ſomnum obrepere. Quod ſi ita eſt, multò profectò calamitoſior eſt hemiplegicorum cerebri intemperies, quàm Scytharum: quod ex eo facilè convincitur quòd in hemiplegicis functiones omnes penè concidant, aut magnâ ex parte labefactentur, ut non ſemel monuimus. At verò Scythæ, cæteras omnes functiones, tum naturales, tum vitales, tum etiam animales poterant obire; ac propterea, cùm, cæteris partibus bene valentibus, hanc unam concidere deprehenderent, cauſam in Deorum iram referebant. Et notat Herodotus, hunc illis morbum à Venere immiſſum; quod Uraniæ Veneris templum, in Aſcalone Paleſtinæ urbe ſitum, depeculati eſſent. Quin etiam Scythæ, cùm ſe eviratos deprehenderent, ad muliebria munia divertebant; hemiplegici verò ad plantarum munia divertunt: nam, inſtar trunci, lectulo, aut cathedræ ſemper affiguntur.

Cæterum neceſſarius eſt cerebri influxus non tantum ad ſeminis elaborationem, ſed etiam ad ejuſdem validam, & convenientem immiſſionem. Decernunt enim, communi conſenſu, Medici ſeminis immiſſionem eſſe actionem partim naturalem, partim animalem; ſicut enim in urinæ emiſſione utraque functio manifeſtè deprehenditur: nam primò renes, naturali inſtinctu, ſerum à ſanguine ſegregant, ſegregatum in veſicam demandant, in veſica detentum facultatem expultricem ſtimulant, quâ ſtimulatâ, laxatur muſculus qui veſicæ orificium claudit, ac, ſi opus ſit fortiori ejaculatione, muſculi veſicæ aſſidentes ipſam comprimunt, & illius eductionem promovent: ita, in emiſſione ſeminis, primò vaſa ipſa elaborando ſemini deſtinata, naturali inſtinctu, materiam, ex universâ ſanguinis maſſâ,

prolectant & elaborant, elaboratam, suis in loculis, tanquam in penu recondunt; ea autem longiorem moram his in locis trahens, vel suo pondere gravat naturam, vel suâ acrimoniâ expultricem facultatem vellicat; unde natura ad illius exclusionem se accingens, multo spiritu flatulento, colem distendit, eoque distento, tum naturali impetu, tum musculorum ministerio, materiam illam extra corpus exturbat. Ergo, cùm animales functiones à cerebro dependeant, ut pote quæ nervorum & musculorum ministerio peraguntur; sanè, male affecto cerebro, necesse est hujusmodi functiones concidere, quamvis illæ, quæ solo naturæ instinctu perficiuntur, remaneant, cujusmodi est colis inflatio. Ex quo facilè intelligere est quî fiat ut hemiplegici, per morbi initia, importuno illo coeundi appetitu, vellicentur; cùm tamen vires omnes penè labascant: causa enim hujusce eventûs, in flatulentum illum spiritum referenda, qui, in cavernosos illos meatus, se insinuans, concitationem illam promovet; excitatur autem flatulentus ille spiritus tum à continuo decubitu in renes, tum à calidioribus linimentis quæ spinali medullæ admoventur, ut frigida illa intemperies emendetur; ergo illa colis inflatio, cum sit naturæ opus, neque musculorum ope perficiatur, potest quidem in hemiplegicis remanere: verùm valida illa & conveniens immissio in uterum, quæ fit ministerio musculorum, in hemiplegicis concidit: neque existimo visum esse usquam ullum, consummatâ hemiplegiâ laborantem, qui potuerit liberos suscipere. Et sanè frequenter aliquos observavi hoc morbo correptos, qui, per initia, ad Venerem maximè proclives erant; verùm, si quando rem tentassent, læsi sentiebant quam noxius sit huic affectui Venereorum usus: unde cautiores facti, illum cane pejus & angue detestabantur. Procedente au-

tem morbo, pruriginem quandam sentiebant, sed ut ea ex flatulento tantùm spiritu concitabatur, ita in flatum facilè solvebatur. Crediderim hoc ipsum Titio accidisse; nam cum, in primo morbi insultu, superesset adhuc aliquis naturæ vigor, & sub his cineribus aliqua virilitatis scintilla delitescceret, cogitavit misellus de secundis nuptiis, tentavitque ex Titiâ prolem suscipere; verùm maximo damno id tentavit, nam, exhaustâ spirituum copiâ, & labefactato naturali calore, secundus ille insultus morbi rediit priore multò calamitosior; ita ut admodum credibile sit, ab eo tempore, scintillam illam virilitatis in favillam abiisse, ac, si quando rem tentare voluit, effœto elumbis arietavit impete.

JAM verò, ut ad secundam conclusionis nostræ rationem accedamus, id repeto, quod supra monui, extra omnem controversiam esse virilitatem in Titio fuisse extinctam, in postremo illo insultu qui decimo die eum e vivis sustulit; neque existimo quemquam id negaturum, quantùmvis studio contradicendi teneatur: nam si effœtam illam ætatem, morbi malignitatem & longitudinem, symptomata, quæ in hoc postremo insultu contigerunt, vel mediocriter perpendeat, ridiculum profectò judicabit dicere misellum, inter has angustias, de suscipiendis liberis potuisse cogitare. Ut igitur partus Titio acceptus referatur, non debet fieri computatio dierum gestationis, ab obitu Titii, sed saltem à decem illis diebus. Quo posito, dico summam illam, ex decem illis diebus, cum decem mensibus civilibus completis, & sex diebus undecimi mensis, excedere, quadraginta diebus, summum gestationis terminum qui à Medicis assignatur. Scio equidem quàm variæ sint & discrepantes Medicorum sententiæ circa summum gestationis tempus,

adeo ut, in procelloso maris æstu, non magis videas littora littoribus contraria, fluctibus undas, quàm hîc, placita placitis, & rationes rationibus oppositas. Et sanè maximum est hoc ignorantiæ nostræ argumentum nos hâc in re caligare, cujus cognitio jam à tot sæculis tentata est; cùm tamen & frequenter sensibus occurrat, & potenter se in ipsos insinuet, & avidè ab his excipiatur. Quòd si in hâc sensuum luce ita caligamus, quantùm cæcutiemus in his quæ in sensuum recessu posita sunt! Cæterum sicut nautæ, sæviente tempestate, cynosuram inspiciunt; ita ego, in hoc contentioso & veluti procelloso disputationum æstu, Hippocratem, tanquam cynosuram, inspiciendum duxi: hujus enim auctoritas, apud jurisconsultos & sapientes omnes, plurimùm valuit; hunc omnis ætas, tanquam numen aliquod è cœlo delapsum, venerata est: hujus placita, pro oraculis, habita sunt: illi hoc elogium à veteribus tributum est, nec falli potuisse, nec fallere voluisse. Ergo, ex Divini illius viri oraculis, conabor eruere quid in propositâ difficultate sentiendum sit.

Atque, cùm ipsemet palam & apertè testetur fœtum non posse, ultra septimum circuitum quadragenarium, in utero remanere, ac, ne ullus esset dubitationi locus, docet septem illos circuitus efficere ducentos & octoginta dies, sanè non opus esset valde magnâ solertiâ, ad faciendam istam supputationem; nisi ille ipse author doceret septem illos circuitus undecimum mensem apprehendere. Quo ex loco, non levis oritur difficultas: cùm enim septem illi circuitus quadragenarii conficiant novem duntaxat menses civiles integros, & sex dies circiter decimi mensis; quî fieri potest ut, cùm in illis desiderentur plusquam viginti dies ad complementum decimi mensis, nihilominus possint unde-

cimum apprehendere? Ex hâc difficultate, uti existimo, nata sunt dissidia inter Medicos, cùm alii summum gestationis tempus decimo mense includant, alii ad undecimum extendant, & utrique, Hippocratem in suam sententiam trahant. Ad hujus difficultatis explicationem, duo veniunt inquirenda. Primò quos menses intellexerit Hippocrates; secundò quomodo illi computandi sint. His enim perspectis, facile intelligemus quî fieri possit ut septem illi circuitus quadragenarii undecimum mensem possint apprehendere, totamque difficultatem, potiùs in loquendi modo positam, quàm in re ipsâ deprehendemus: neque enim Hippocrati vênit unquam in mentem longiorem terminum utero gerentibus assignare, quàm septem illorum circuituum quadragenariorum.

Ergo mensis alius est Solaris, alius Lunaris. Solaris mensis est spatium illud, quo Sol unum signum, sive duodecimam Zodiaci partem perlustrat; constat autem hic mensis triginta diebus, & aliquot horis. Mensis Lunaris à Lunâ denominatur; est autem variis respectibus multiplex: alius enim est mensis peragratorius, spatium scilicet illud quo Luna Zodiacum percurrit; estque dierum viginti septem & octo horarum. Alius apparitionis; tempus illud, scilicet, quo Luna nobis apparet, estque dierum viginti sex & duodecim horarum circiter. Alius denique conjunctionis; quo Luna, ab unâ Solis conjunctione, ad aliam conjunctionem redit; & continet dies viginti novem cum dimidio.

His ita positis, quærunt Medici quis horum mensium, in Hippocraticâ computatione, sit assumendus; existimant nonnulli, etiam ex recentioribus & melioris notæ Medicis, Solares menses esse intelligendos; quod demonstrant ex eo quòd sol maxi-

mam

mam habeat vim, tum ad formationem, tum ad perfectionem, & exclusionem fœtûs: nam, ut inquit Aristoteles, sol & homo generant hominem: ergo illius cursus, toto gestationis tempore, est observandus: addunt hoc ipsum voluisse Hippocratem, siquidem, in lib. de octimestri partu, juxta aliquorum versionem, sic habet: *Oportet autem vel maximè considerare, quòd novilunium, quod dies unus existit, exactissimè trigesima mensis pars est: duo autem dies, fermè quindecima mensis pars sunt.* Sanè, si dies unus sit exactissimè trigesima mensis pars, totus mensis erit dierum triginta, qui dierum numerus non potest competere ulli ex mensibus lunaribus. Nihilominus certum est & indubitatum Hippocratem audiendum esse de mensibus lunaribus, iisque qui conjunctionis nuncupantur; siquidem ut solis, sic & lunæ, in hæc inferiora influxus, tum potissimum in fœtûs efformatione, venit observandus: ut enim cerebrum, spiritus à corde acceptos, in universum corpus transmittit, ita luna, quos à sole suscepit radios, in hæc inferiora demandat, sicque omnium mutationum & generationum causa censetur; &, ut notat Aristoteles, luna, radiis illis solaribus velut imprægnata, parvus quidam sol nuncupari potest. Sed & superstitiosa illa antiquitas lunam, tanquam partuum præsidem, compellavit.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuêre matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.

Ergo cum duorum illorum syderum concursus, ad productionem & maturationem fœtûs, sit necessarius: utriusque cursus, toto gestationis tempore, erit observandus. Mensis autem ille Lunaris, quem

conjunctionis appellant, varias illorum syderum conjunctiones complectitur. Ergo, hîc in Hippocraticâ undecim mensium computatione, venit assumendus. Sed Hippocrates ipse, tam clarè & apertè suam mentem aperuit, ut superfluum omnino videatur rationibus id velle demonstrare; siquidem, in libro de septimestri partu, dum demonstrat septimestres partus fieri ex centum octoginta diebus, dum quinque menses intermedios enumerat, ait illos constare centum quadraginta septem diebus cum dimidio; &, ut omnem dubitandi locum eripiat, subdit duos menses constare sexaginta diebus, uno minùs: constabit ergo quilibet mensis, viginti novem diebus cum dimidio: qui dierum numerus mensi conjunctionis assignatur. Galenus quoque, in fragmento de septimestri partu, hunc ipsum Hippocratis locum explicans, ita habet. Nam mensem nominari spatium quod, ab uno lunæ coitu cum sole, usque ad alterum intercidit, nemo est qui nesciat; quod tempus viginti est & novem dierum cum dimidio.

Igitur ad citatum Hippocratis locum: Novilunium, quod dies unus existit, *exactissimè* trigesima mensis pars est. Dico versionem illam depravatam esse: malè enim illi vertunt adverbium illud ἐγγύτατα *exactissimè*, cum potiùs vertendum sit, *proximè*, ut vertunt Calvus, & Lalamantius: sic igitur legendus est ille locus Hippocratis: Novilunium quod dies unus existit, *proximè* trigesima mensis pars est: & sanè ita legendum esse demonstrat id quod sequitur, etiam juxta Cornarii versionem: *Duo autem dies fermè quinta-decima mensis pars sunt;* eodem enim modo duo dies sunt quindecima mensis pars, quo unus trigesima. Ergo si duo dies non sunt *exactè*, sed tantùm *fermè* quindecima mensis pars, ita nec unus dies erit *exactè*, sed tantùm *proximè*, trigesima mensis pars. Atque hic

Hippocratis locus, ita restitutus, mirè sententiam nostram approbat de assumendis mensibus lunaribus.

Superest ergo ut videamus quomodo facienda sit ista computatio, ut ducenti & octoginta dies undecimum mensem lunarem possint apprehendere. Dico igitur, in hâc supputatione, menses intermedios, completos & absolutos, computari debere, assignando unicuique mensi viginti novem dies cum dimidio: at verò primum & ultimum incompletos, pro completis, numerari. De intermediis quidem, quòd completi numerandi sint, nulla est difficultas: de postremo quoque mense, quòd incompletus, pro completo, numeretur, satis patet ex ipso loquendi modo quo utitur Hippocrates, dum ait nonnullas undecimum mensem apprehendere: nihil enim aliud vult dicere, quàm ad undecimi mensis principium pervenire. Sed & Jurisconsulti, ut jam adnotavimus, apprehensionem illam undecimi mensis, ad duos duntaxat dies, extendunt. Ergo tota difficultas est de primo mense, an scilicet, sicut principium undecimi mensis pro undecimo mense numeratur; ita finis primi mensis, pro primo mense veniat, computandus.

Ad quod respondeo, ex mente Hippocratis, finem primi mensis, pro primo mense, computari: nam, claris & apertis verbis, hoc ipsum docet in libro de octimestri partu: *Cæterum*, inquit, *decimestres & undecimestres partus, ex septem quadragenariis, eodem modo fiunt, velut, ex dimidio anno, septimestres.* Ergo eodem modo computandi sunt undecim menses, ex septem quadragenariis consurgentes, quo septem menses ex dimidio anni: cum enim dimidium anni sit tantùm sex mensium, æquè difficile est intelligere quomodo, ex sex mensibus, sep-

timestres consurgant, atque, ex septem quadragenariis, undecimestres: igitur Hippocrates, libr. de septimestri partu, ostendit quomodo facienda sit ista computatio. *Septimestres*, inquit, *nascuntur diebus centum & octoginta duobus ac dimidio, & insuper accedente diei particulâ; si enim primi mensis dies quindecim supputaveris, deinde quinque mensium dies centum quadraginta septem ac dimidium, (in sexaginta enim diebus, uno minùs, quàm proximè, duo menses perficiuntur) his sic se habentibus, ad septimum mensem supersunt dies plusquàm viginti.* Vides ergo quàm clarè & apertè doceat Hippocrates, in hâc computatione, solos menses intermedios, completos & absolutos numerandos esse: primum verò & ultimum incompletos pro completis haberi: Et verò hic numerandi modus, in quo menses aut dies incompleti pro completis habentur, Medicis usitatissimus est: nam, in computandis diebus febris tertianæ aut quartanæ, dies incompleti pro completis habentur. Esto, exempli gratiâ, corripiatur Socrates febre intermittente die lunæ, horâ quintâ pomeridianâ, ac primus ille insultus continuet per quatuor aut quinque horas, remaneatque febris expers totâ die Martis: die verò Mercurii, circa meridiem, secundus insultus febris redeat; sanè febris hæc tertiana nuncupabitur, & tamen, ab horâ quintâ pomeridianâ diei lunæ, ad meridianam horam diei mercurii, non sunt duo dies integri: solus enim dies intermedius completus est; finis autem diei lunæ, pro primâ die, sicut & initium tertiæ diei, pro tertiâ computatur, Sed & Theologi hoc ipso computandi modo utuntur, ut demonstrent quomodo Christus Dominus, tertiâ die, à mortuis resurrexit: nam, à pretiosissimâ illius morte, ad gloriosissimam ejusdem resurrectionem, est tantùm unus

dies completus & absolutus, finis autem primæ diei, pro primâ die; & principium tertiæ, pro tertiâ, computatur. Ergo similiter, in computatione undecim illorum mensium, soli menses intermedii completi & absoluti numerandi sunt, primus verò & ultimus incompleti, pro completis, numerantur. His igitur ita positis, facilè erit intelligere quomodo septem illi circuitus quadragenarii possint undecimum mensem apprehendere; supponendo primò, pro Hippocrate, plurimas mulieres concipere post menstrua purgamenta, ubi ab his exolutæ fuerint; habet enim hoc tempus multas ad concipiendum opportunitates: nam exinanita uteri vasa, immissum semen, avidiùs sugunt & prolectant, attractumque firmiùs retinent: commoventur autem menstruæ illæ purgationes diversis temporibus; nonnullis enim in novilunio, nonnullis circa plenilunium concitantur.

Luna vetus veteres, juvenes nova luna repurgat.

Oportet igitur, inquit Hippocrates, *mulieri tempus dare mensis, in quo ipsa purgatio continget, & hoc tempus quibus brevissimum sit, tres sunt dies.* Ergo quæ mulieres circa plenilunium purgantur, tertia die à plenilunio concipiunt; tertius autem dies à plenilunio est decimus septimus cum dimidio; ergo, ad complementum mensis lunaris, supersunt circiter duodecim dies, qui pro primo mense computantur. Quòd si duodecim illis diebus addas novem menses lunares completos, assignando cuilibet mensi viginti novem dies cum dimidio, fient ducenti septuaginta septem cum dimidio: igitur, ad complementum septimi circuitûs quadragenarii, supersunt duo dies cum dimidio; qui dicuntur, undecimum mensem apprehendere, quod voluit denotare Hippocrates dum ita concludit. *Ex his*

igitur omnibus necessarium est plerasque mulieres, circa plenilunium, & ultra in ventre concipere, ut ducenti & octoginta dies sæpè undecimum mensem apprehendere videantur: tot enim dies, septem quadragenarios constituunt: nam, cum ultra plenilunium mulier concipit, necesse est eum conceptum undecimum mensem attingere, quoad ultimum circuitum perveniat. Ergo, quàmvis Hippocrates statuat summum gestationis tempus modò esse decem mensium, modò septem circuitibus quadragenariis includat, modò ad undecimum mensem extendat; semper tamen sibi constat, nec à se ipso unquam discedit; adeo ut mirum sit, ex apparente aliquâ locorum discordiâ, quæ in modo computandi & in verbis potiùs inest, quàm in re ipsâ, tot nata esse dissidia inter Philosophos & Medicos.

Ex his igitur satis constat, summum gestationis tempus non posse excedere septem circuitus quadragenarios, juxta mentem Hippocratis. Itaque cum, ab obitu Titii ad diem partûs posthumi, numerentur dies trecenti & decem, si addas decem illos dies quos ante obitum Titii numerandos esse supra monuimus, fient trecenti & viginti dies, qui dierum numerus, toto quadragenario, excedit summum illum terminum ab Hippocrate præscriptum, quod erat mihi demonstrandum.

CÆTERUM, ad pleniorem hujus secundæ rationis intelligentiam, placet universam rem paulò altiùs repetere & investigare quâ ratione ductus Hippocrates summum gestationis tempus, septimo circuitu quadragenario, concluserit: neque enim probabile est Divinum illum virum ita, absque ratione, sanxisse. Ut enim Jurisperiti erubescunt sine lege loqui, ita nec Medicum absque ratione loqui decet, est enim ratio velut lex quædam ipsius naturæ. Ergo

ut intelligamus quâ ratione motus Hippocrates, terminum illum prægnantibus assignaverit, sciendum est partum fieri per modum criseos, ut frequenter ille inculcat, & post eum Galenus: sicut enim crisis fit cum, morbifici humoris orgasmo, concitata natura insurgit ad illius exclusionem, ita partus fit, cum, fœtûs recalcitratione & vinculorum laceratione, concitatus uterus insurgit ad illius exclusionem. Crisis alia perfecta, alia imperfecta est. Partus quoque alius perfectus, alius imperfectus est; perfectam crisim antecedit morbifici humoris præparatio, perfectum quoque partum præcedit partium apparatus totiusque fœtus absolutio & complementum. Crisis, quàmvis varia habeat tempora, tamen sunt certi quidam dies, ante quos nulla fit crisis, & quibus elapsis nulla fit crisis. Sic & partus humanus, sua habet tempora, extra quæ non potest fieri partus perfectus. Ergo, ut ad rem accedamus, sicut, in toto morbi decursu, dies critici observandi sunt, in quibus humor commovetur, & consequenter natura insurgit ad illius exclusionem; ita, in toto gestationis tempore, observandæ sunt septimanæ, menses & circuitus quadragenarii; his enim temporibus variæ insignes mutationes solent fœtui contingere. Ac de septenario quidem quanta sit ejus vis, tum in fœtûs efformatione, tum in universo vitæ decursu, sive per morbos, sive per sanitatem, non est quòd multa referam, cum tam multa apud authores reperiantur; ut nonnulli, integro opere, septenarii virtutes sint prosecuti; singularem numeri illius vim in fœtu demonstrat quòd septimestres partus vitales sint, non autem octimestres, sicut crises, quæ die septimo contingunt, faustis ægri rebus eveniunt; quæ verò octavo, infidæ sunt, & ut plurimùm exitiales.

Menses etiam, in gestatione fœtûs, contemplabi-

les sunt, quòd in iis variæ contingant mutationes; quod ostendit Hippocrates ex eo quòd, sicut ante conceptum, sanguis ille menstrüus, singulis mensibus, commovetur: ita, & post conceptum, & toto gestationis tempore concitatur. Et verò cum duo illa benefica sydera, ex quorum radiis & influxu, tum fœtus in utero, tum cætera corpora naturalia efformantur, varias mutationes hoc tempore subeant; quis dubitet quin fœtus quoque varias subeant mutationes & agitationes? *Nam*, ut inquit Aristoteles, lib. 4. hist. anim. sub finem, *necesse est ut rerum minùs principalium circuitus sequantur circuitus rerum magis principalium.*

Sed &, per circuitus quadragenarios, varias in fœtu contingere mutationes testatur Hippocrates: imò & ita his circuitibus addictus videtur, tantamque virtutem illis assignat, ut omnium mutationum rationem, quæ in fœtu solent contingere, in circuitus istos quadragenarios referendam existimet.

Nam, ubi docuit mulieribus fidem adhibendam, cum loquuntur de his quæ ad partum spectant, subdit: Dicunt autem & abortus plurimos, in primis quadraginta diebus, fieri: sed & reliqua conscripta his accidere in quadragenariis. Prægnantes quoque, cum quadragesimum diem transmiserint, raró abortum pati decernit: sed & post partum mulier, quadraginta diebus ad summum, expurgatur; unde, in veteri lege, enixis nefas erat ad templum accedere, ante quadragesimum diem. Sed & latentem numeri hujus virtutem multis aliis experimentis deprehendimus. Vidimus his in locis, superioribus annis, nonnullos, à cane rabido demorsos, qui, triginta novem dies, incolumes & absque latentis veneni suspicione transmiserunt, sed, accedente quadragesimo die, venenata illa aura, quasi de somno suscitata & efferata, eos in rabiem egit,

&

& de medio sustulit. Si quis, ab accepto vulnere, quadraginta diebus, superstes maneat, & postea fatis cedat; non censetur mors illa accepto vulneri referenda. Quin & communis usus invaluit ut, si quis cum peste infectis versatus sit, per totos quadraginta dies, à communi hominum consortio arceatur; quos, si incolumis peregerit, non censetur ulla labe infectus. Hanc autem quadragenarii vim deducunt Pythagorici ex eo quòd numerus ille sit velut quidam effectus resultans ex septenario, & illius partibus: partes enim septenarii sunt tria & quatuor; si igitur septenario addas ternarium, fiet denarius, quem, si per quatuor multiplices, consurget quadragenarius.

Sunt igitur, in toto gestationis spatio, hæc tempora observanda, septenarii, menses & circuitus quadragenarii. Atque, si menses & circuitus quadragenarios per septenarium multiplices, habebis primum & ultimum gestationis terminum; sicut enim septem menses sunt primus gestationis perfectæ terminus; ita septem circuitus quadragenarii continent summum & maximum, quem nusquam natura transgreditur. Ac, de primo seu minimo gestationis termino, vix ulla est controversia; siquidem Jurisperiti, & Medici, & Philosophi, communibus suffragiis decernunt non posse esse vitalem partum ante septimum mensem: cum enim solis influxus necessarius sit ad perfectam fœtûs maturationem, debet uterus, rectis & fortibus radiis solaribus, illustrari: hoc autem præstat sol, cum è diametro respondet signo conceptionis: necesse est igitur, ad complementum partûs, ut completum sit & integrum anni solaris dimidium, neque est quòd rem, quæ omnibus in confesso est, validioribus argumentis probare satagamus.

Quoniam autem non ita convenit apud omnes

de summo gestationis termino, manifestè ex superioribus demonstro, illum non posse excedere septem circuitus quadragenarios. Ac imprimis id repeto quod jam monui, per circuitus quadragenarios, maximas contingere mutationes in fœtu; &, quod ad nostrum institutum maximè facit, primo quadragenario animatur fœtus, tertio movetur, quinto absolutus est & completus: adeo ut, si in lucem exeat, vitalis censeatur; septimus enim mensis in hunc circuitum cadit: ergo, hoc ipso circuitu, acetabula, quibus alligatur fœtus in utero, paulatim laxantur; quod demonstrat Hippocrates similitudine illius membranulæ quæ granum tritici involvit, quæ, quandiù granum immaturum est, firmiter & tenaciter ipsi adhæret; ubi verò maturitatem adeptum est, sponte suâ laxatur, & ab illo separatur.

Hoc ipsum etiam manifestè conspicitur, in aspero illo & hirsuto tegumento quod castaneas involvit; hoc enim, dum fructus immaturus est, adeo firmiter compactum est, ut vix ipsum possis divellere; maturo verò fructu, paulatim dehiscit & expanditur: ita vincula illa, quibus fœtus in utero alligatur, quandiù immaturus est, firmiter ipsi adhærescunt: hoc verò quinto qnadragenario, quo fœtus suam maturitatem assequutus est, paulatim laxantur & dehiscunt: ergo, quamvis fœtus jam completus ampliorem locum expetens, & uberius alimentum expostulans, incipiat recalcitrare, quamvis ligamenta laxiora sint, uterus tamen ad illius exclusionem, raro se accingit, quòd, velut naturali quodam instinctu, prævideat fœtui non satis esse roboris, tum ad perferendos partûs labores, tum ad mutationes sustinendas, quæ in partu solent contingere. Sicut enim mutationes temporum, locorum & alimenti, morbos, etiam adultis, inferre possunt; ita variæ illæ mutationes, tenello fœtui, varios mor-

bos possunt suscitare. Nam utero inclusus, tepido & benigno matris calore, fovetur: exclusus verò ab utero, variis injuriis aëris exponitur: in utero, sanguinem coctum & elaboratum sugit & prolectat, qui non aliâ coctione indiget, quàm ut ipsi agglutinetur: extra uterum, lac à nutricis papillâ sugit, illudque frequenter parum suæ naturæ conveniens; prolectum lac, qualecumque sit, in stomacho elaborari debet, & triplicem illam coctionem subire, antequam in alendas partes convertatur: intrà uterum, mollibus & suavissimis membranis involvitur: extra uterum, asperioribus fasciis & linteis alligatur; quæ subinde mutanda sunt, quòd, variis excrementis quæ emittit, conspurcentur.

Adde quòd, in ipso exclusionis tempore, angustioribus matricis oris ita comprimitur, ut, velut exanimis, per aliquod tempus remaneat. Sagax igitur & provida natura, Divino quodam instinctu, hæc incommoda prævidens agnoscensque debiliorem fœtum, quàm ut innoxiè illa possit sustinere, primos illos recalcitrantis fœtûs impetus cohibere satagit, prohibetque, in quantùm potest, ne uterus ad illius exclusionem se accingat, adeo ut meritò cum Philosophis dicere possimus, opus naturæ, opus esse intelligentiæ non aberrrantis. Fœtus igitur, per frequentem illam recalcitrationem, defatigatus ac, per vinculorum lacerationem, debilior factus, per totum sequentem quadragenarium circuitum, in utero debet quiescere; & ut verbis ipsius Hippocratis rem exprimam: *Quicumque fœtus, in illo secessu, afflictionem pertulerunt, quadraginta dies in imbecillitate transigunt, & quicumque natus fuerit, in his quadraginta diebus, eum impossibile est superstitem manere.* Redit ergo in gratiam cum utero fœtus, & benignè ab illo excipitur, foveturque per totum sextum quadragenarium. Per-

acto igitur sexto illo circuitu morboso, ubi ad septimum quadragenarium perventum est, fœtus novum incrementum novumque robur in dies assumens, uberiusque alimentum & ampliorem locum expostulans, incipit de novo recalcitrare: Ac, cum insignes mutationes contingant, per septimanas, menses, & quadragenarios, in illis magis subsultat & recalcitrat fœtus: ac primò, per illas septimanarum concitationes, vincula quibus alligatur paulatim solvuntur: accedente autem fortiori illa concitatione quæ fit per illorum syderum conjunctionem; aut omninò disrumpuntur, aut saltem ita laxantur, ut, accedente concitatione illâ, quæ contingit per circuitum quadragenarium, necesse sit fœtum excuti: sicut enim granum tritici, ubi maturum est laxataque est membrana quâ involvitur, vel minimo flante vento, exturbatur; ita maturus fœtus, solutis compagibus quibus alligatur, per varias illas concitationes quas memoravimus, necessariò debet emitti ac potissimum hoc septimo quadragenario; quia, ut in crisibus, sic & in partu, natura potiùs operatur per circuitus impares, quàm per pares: nam primo circuitu animatur fœtus, tertio movetur, quinto absolvitur, septimo debet emitti in lucem. Receptum est enim ab omnibus Philosophis hoc axioma, quòd positis omnibus ad actionem necessariis, necessariò consequatur actio: Hîc autem omnia ponuntur quæ ad partum sunt necessaria: nam fœtus maturus est, vincula laxata sunt, fœtus satis valens ad perferendas partûs molestias; uteri vis sufficiens ad exclusionem recalcitrantis fœtûs, quin & longa illa gestatione & excrementorum copiâ defatigatus est; ergo, hoc tempore necessariò debet sequi partus.

Neque verò existimamus in eorum sententiam eundum esse, qui volunt languidiores fœtus, sive

ex mœrore matris, sive aliâ ex causâ id contingat, longiorem moram in utero trahere; cum ipse Hippocrates oppositum doceat, scribens solos fœtus vegetiores & robustiores, ad finem septimi circuitûs quadragenarii pervenire; siquidem languidiores fœtus, per frequentes illas agitationes, exturbantur, antequam ad finem ultimi illius circuitûs pervenerint; quod facilè intelliges, si contempleris varios fructus in eâdem arbore sitos: in eâdem pomo, verbi gratiâ, sunt multa & varia poma; horum nonnulla vegetiora sunt, multo succo plena, &, firmissimo pedunculo, arbori alligata: alia verò exsucca sunt, marcida & sicco pedunculo affixa: dum igitur vento concitatur arbos; sanè illa quæ valentiora sunt, immota permanent: quæ verò cariosa & tabida sunt, statim excutiuntur; idem ergo esto judicium, de languidiore & valentiore fœtu, per varias illas concitationes, quas frequenter contingere jam docuimus.

Possunt & alia multa opponi contra hanc Hippocratis doctrinam, quæ tamen facilè dissolverem, nisi lectorum otio abuti viderer; unum tantùm afferam, ex cujus dissolutione multæ aliæ objectiones solvi poterunt.

Dices ergo. Hippocrates docet mulieribus adhibendam esse fidem, dum loquuntur de his quæ ad partum spectant. At multæ probæ & honestæ mulieres, & omni exceptione majores palam & apertè profitentur, se, ad finem usque undecimi mensis civilis, in utero habuisse: nonnullæ etiam ad duodecimum; sed & Avicenna magni nominis Medicus, etiam decimo quarto mense, vitalem fœtum prodiisse memoriæ prodidit; ut omittam eos qui affirmant se vidisse nonnullas quæ, ad vigesimum tertium mensem, imò & toto biennio in utero habuerint. Huic objectioni occurrunt & Hippocra-

tes, &, qui multa ex Hippocrate, circa hanc materiam, desumpsit Aristoteles, mulieres illas decipi, ex retentis in utero flatibus; quomodo autem id contingat, non injucundum erit, nec ab instituto nostro alienum, breviter explanare. Ergo flatus ille in utero inclusus, vel ab ipsâ matrice, ex vicinis partibus, attrahitur, ut pote quæ maximâ vi attrahendi donata est, quam Aristoteles assimilat narium inspirationi, per quam & pulveres & liquores, unà cum aëre, attrahimus, vel propter immissi seminis imbecillitatem, generatur: siquidem semen debet esse benè coctum, ac consequenter viscidum, crassum & tenax, ut matricis parietibus possit adhærescere: si igitur crudum est, & liquidius quàm par sit, quale in iis est qui nimiùm veneri indulgent, & potiùs ad voluptatem, quàm ad suscipiendam prolem, eam exercent; tale semen omninò infœcundum est & nihilominus à matrice avidissimè excipitur & intus reconditur, eoque retento, os internum uteri occluditur, eodem modo quo dum fœcundum excipit semen. Unde fit ut symptomata illa quæ prægnantibus evenire solent, hìc etiam contingant: ac propterea deceptæ mulieres existimant se reverà concepisse; cùm tamen materia illa, in utero retenta, in flatum abeat. Et quod majorem suspicionem graviditatis ipsis infert, illud est quòd, eo ipso tempore quo verus fœtus in utero movetur, flatus iste concitetur & infantis motum ementiatur; imò, accedente partûs tempore, flatus ille agitatur & nonnunquam foras prodit: quod, facetè admodum, non invenustus quidam Poëta, Acciellæ contigisse memorat.

Venter cùm tumuisset Acciella,
Septem mensibus & novem diebus;
Cæpissetque Lien parum dolere;